

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

hem. 8. vers. 10. verum in timore Domini gloriatio nostra sit oportet, Sir. 9. vers. 23. Quod si igitur intra hos cancellos nos contineremus, non adeo culpandum foret. Deus enim eo fine vinum creavit, ut laxificet cor hominis, Psal. 104. 15. quin & ideo Deus hominibus dominium dedit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, & super omnes pisces maris, ut iis pro cibo utantur, Gen. 1. v. 18. c. 9. v. 3. Et Esau à patre Isaac iussus est in campum egredi, & venatu capere ferinam, indeque facere pulmentum, quale noverit illum velle, Gen. 27. v. 4.

Verum plurimi putant, diebus festis licere sibi agere quod lubet, adeoque in lustris, popinis, alea, vino, tempus consumunt ut non immerito Deus propterea abominetur festivitates nostras, Amos. 5. v. 2. neque enim illæ debita devotione feriari possunt, si crapula & ebrietate prophanentur. Veteres potius jejuniis se dederunt, quando per poenitentiam & orationem Dei gratiam impetrare voluerunt, ut in Davide patet, 2. Sam. 12. v. 16. Tob. 12. v. 8.

Nec hanc modo temperantia utilitatem præstat, sed & hunc usum habet, ut alio tempore tempestive promere possimus, quod ita comparimus, id quod hic Apostolos fecisse, audimus. Hinc Veteres dixerunt: Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium, qui non modo familiam suam sustentare: sed & necessitatibus sanctorum communicare potest, Rom. 12. v. 13. Eph. 4. 28.

Quin & multi morbi per frugalitatem averti possunt, hinc Owenus:

Si tarde cupis esse senex, utaris oportet,  
Vel modico medice, vel medico modice.

Sumta cibus tanquam lædit Medicina salutem,  
At sumtus prodest, ut medicina, cibus.

Helluo enim vorax inquietum somnum habet, & tormina, aliosque dolores patitur, Sir. 31. v. 21. c. 37. v. 32. seqq.

## De Secundo.

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem, *scilicet Evangelii*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis in præsentè Evangelio commendatur:

1. *Tanquam antiqui amoris continuator.* Alias in proverbio dicitur: *Honores mutant mores.* Sed id Christus non facit. Etsi enim jam servi formam deposuerat, & corpus clarificatum è sepulchro attulerat, imò in gloriam suam intraverat, Luc. 24. v. 26. Attamen fidelis manet, & in pristina humanitate persistit. Apostolis enim suis

1. *Pacem antiquam impertit*, de qua proxime ante passionem & mortem dixerat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, Joh. 14. v. 27.* Omnes perfidia defecerant tempore passionis. attamen fœdus suum irritum facere non vult: & ubi illi fulgura & tonitrua metuunt, ipse pacem suam illis impertit, & adeo humaniter cum illis conversatur, ac si nihil omnino deliquissent, est enim patiens & multæ misericordiæ, Joel. 2. v. 13. calamum quassatum non conteret, Esa. 42. v. 3. sed virtute sua per fidem in salutem nos custodiet, 1. Pet. 1. 5.

Quando igitur adhuc hodie mundus nobis insultat, & diabolus nos terret propter

T t t peccat

peccata meminerimus, quod Christus ex adverso gratiæ & pacis clypeus esse nobis velit. Ideoque hic tanquam cœlestis Aaron advenit, & benedictione pacis discipulos suos impertit, Num. 6. v. 24. Quinimo virga hujus sacerdotis dat amygdalas omnimodæ consolationis, contra diabolum, peccatum, mortem & infernum, Num. 17. 8. quia non saltem princeps noster pacis est, Esa. 9. v. 7. sed pax ipsa, qui nos per sanguinem & mortem suam Deo reconciliavit, mediumque parietem maceræ solvit, inimicitiam in carne sua, Eph. 2. v. 14. ut jam ovantes exultare possimus in mediatore hoc nostro, & gratiæ fonte. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus, Rom. 14. v. 8.

2. *Corpus idem sistis*, eisque ostendit manus & pedes, quibus nostri causa adeo duriter laboravit, Esa. 43. v. 25. & toreular furoris calcavit, Esa. 63. v. 3. ut elare perspicere debeant, non se esse spectrum, ut aurumabant, sed eandem Dominum, qui propter eos acerbissimam mortem crucis pertulerit. Propterea ait ad Judæos: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, Joh. 2. 20.

Hoc probe observemus. Etiam si enim assumptæ suæ carni immortalitatem communicavit, attamen naturam ipsam non deposuit, sed est & manet idem ille Christus, frater & Immanuel noster, qui nos nō relinquet Orphanos, Joh. 14. v. 18. sed nobis claritatem largietur, quam illi pater dedit, Joh. 17. v. 24.

Interea & hoc nobis constat, quod corpus ejus clarificatum in persona *τὸ ἀθάνατον* consistat, eoque cœlum & terram impleat, Jer. 23. 24. ideoque vult & esse potest nobis-

cum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Matth. 28. v. ult.

2. *Doctrinam priorem repetit*, inquiens: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.

Hoc ipso Christus de novo scripta Mosis & Prophetarum canonizat, quod illa non negligere, sed cum nobilioribus Berthoenf. sedulo scrutari debeamus, Act. 17. vers. 11. Joh. 5. vers. 39. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15. v. 4.

Quando igitur alii Pythones consulunt, & à mortuis veritatem quarunt, Deut. 18. v. 11. aut traditionibus humanis inhaerent, scripturam vero literam mortuam vocant, nisi à Romano Pontifice illa canonizetur, & auctoritatem acquirat, nos interea Christo adhaeremus, qui etiam mortuus fuit, & ecce vivens est, Apoc. 1. v. 18. & quamprimum sepulchro exit, Evangelium suum antiquum confirmat, ut in æternum illud persistere debeat, Esa. 43. v. 23.

Sicut igitur in præfenti ait: *Ita scriptum est*: Ita nos merito *litera scripta* inhaeremus omni ex parte, & anathema dicimus omnibus illis, qui aliud evangelizant, licet angelus de cœlo sit, Gal. 1. v. 8.

II. *Tanquam resurrectionis suæ demonstrator*. Stetit enim in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Deinde exhibuit illis manus & pedes suos, ut eos palparent & viderent. Tertio, adhuc illis non credentibus præ gaudio, *manducare desiderat*, & in conspectu eorum comedit, postquam ei partem piscis assi & favum mellis obtulerunt.

Hoc non modo in Apostolorum, sed & in

in nostram gratiam factum est, ut & de nostra resurrectione certissimus. Quod si enim Christus non resurrexit, vana est fides nostra, 1. Cor. 15. v. 18. seqq.

Sicut igitur Christus resurrexit:

1. *Corpore suo*, quod pro nobis crucifixum & mortuum erat, sicut hic plagas ostendit, quas in duello adversus peccata, diabolum, mortem & infernum acceperat, Zach. 13. v. 6. Ita & nos die novissimo circumdabimur eadem pelle nostra, & in eadem hac carne nostra videbimus Deum, Job. 19. v. 26. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, 1. Cor. 15. v. 53. Ibi septem illi fratres, qui propter Dei leges membra sua despexerunt, eadem recipient, 2. Macc. 7. v. 11. Caput, quod Johannes propter doctrinam Christi libens dimisit, ipsi tum restituetur, Marc. 6. v. 27. corpus humilitatis nostræ tum transfigurabitur, configuratum corpori claritatis Christi, Phil. 3. v. 22. & fulgebit sicut sol, in regno Patris, Matth. 13. v. 43.

2. *Corpore vero*. Olim hæretici fuerunt, nimirum Manichæi & Marcionitæ, qui veritatem humanæ in Christo naturæ abnegarunt, & somniarunt, quasi corpus suum de cælo attulisset, quod ipse ex missione quatuor elementorum creavit.

Alii prætenderunt, quod corpus & animam in sepulchro reliquerit, & quoad divinitatem saltem in cælum ascenderit. Hi enormem errorem errarunt. Quod si enim Christus verum corpus è sepulchro non attulisset, quomodo idè discipulis suis ostendere, eosque hoc ipso de resurrectione sua certiores redere potuisset?

Ita & nos vera corpora die novissimo è sepulchris nostris producemus, quæ quidem spiritualibus qualitatibus prædita e-

runt, verum quoad essentiam illa ipsa erunt, quæ terræ ad corruptionem mandata sunt. Seminatur enim in corruptione, & resurget in incorruptione, 1. Cor. 15. v. 42.

3. *Corpore clarificato*. Quamvis enim vulnera & stigmata discipulis suis ostendit, & cum illis cibum & potum cepit, quod alias corporibus clarificatis non convenit, sunt enim sicut Angeli Dei in cælo, Matth. 22. v. 30. & irreprehensibiles Deo exhibebuntur, Eph. 5. v. 27. nec esurient, neque sitient amplius, Apoc. 7. v. 16. non est enim regnum Dei cibis & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 18. attamen omnia hæc facta sunt, non ex necessitate, sed ex libera dispositione, propter discipulos, quos hoc modo ex incredulitate liberavit.

Pari modo & nos die novissimo corporibus clarificatis refurgemus, & omnes infirmitates in sepulchro relinquemus. Mors enim ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, Apoc. 21. v. 4. Sed quod hic flentes & in lacrymis seminavimus, ibi cum jubilatione metemus, Psal. 126. v. 5.

Recte proinde Augustinus: *Christus resurrexit, ut imaginem futurae resurrectionis nobis ostenderet*. Idcirco bono animo esse, & cum Martyre Potamiæna cum fiducia dicere possumus: *Resurrectio Christi me sustentat*. Scientes, quoniam qui suscitavit Jesum, & nos per Jesum suscitabit, 2. Cor. 4. v. 14.

III. *Tanquam intellectus nostri reserator*. Hic Evangelista de Apostolis dicit, quod illis sensum aperuerit, ut intellexerint scripturas. Quo indicatur, eum, velut Doctorem eruditæ linguæ ad ipsos iterum egressam concionem paschalem habuisse &

vaticinia Prophetarum ita exposuisse, ut manibus quasi palpare potuerint, de nemine alio, quam de se ea intelligenda esse. Quemadmodum paulo ante discipulis Emaunticis scripturas a deo interpretatus est, ut dixerint ad invicem: cor suum quasi arfisse, præ desiderio & devotione, verba illa vitæ ex ore ejus audiendi, Luc. 24, 32.

*Instructio hęc nostra inserviat, ut si scripturam sacrã cum utilitate legere & intelligere velimus, ad Christum nos convertamus, devota oratione eidem supplicantes. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus simpliciter, & non impropere, & dabitur ei, Jac. 1, 5.*

Cum animali homine ita comparatum est, ut non intelligat ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2, 14. Natura enim omnes sumus stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ, Luc. 24, 25. Neque caro & sanguis nobis genuinum scripturæ sensum revelare possunt, Matth. 16, 17. sed est & manet liber signatus donec Christus eundem aperiat, & signacula ejus solvat, Apoc. 5, 5. Quin & corda aperire, Act. 16, v. 14. & legem suam in iis scribere potest, Jer. 31, v. 33. non quidem atramento, sed spiritu Dei vivi, 2. Cor. 3, 3. Oculos quoque nobis revelare potest, ut consideremus mirabilia de lege ejus, Psalm. 119, 18. viam quoque nos docere potest, ut ambulemus in veritate ejus, Psal. 86, 11.

Hoc vero non immediate facit, modo Enthusiastico: sed unice per scripturam in illis, qui eam diligenter legunt, meditantur, ruminant, dum verum intellectum capiant, qui facile se offert, ubi in timore Domini, & debita devotione illa revolvitur. Hinc Augustinus ait: *Verba Evangelica*

*portant secum explanationes suas, si nimirum Christum in auxilium adhibeamus. Sine eo enim nihil facere possumus, Joh. 15, 6.*

In Papatu hæc facultas non Christo, sed Pontifici adseribitur, quem infallibilem scripturarum interpretem adstruunt. Unde Bonifacius IX. dictum Pauli: spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur, 1. Cor. 2, v. 15. sibi applicat, quod videlicet solis Pontificibus conveniat, res fidei discernere, in quorum dijudicatione quilibet absolute & simpliciter acquiescere debeat.

Verum id salva conscientia facere non possumus, cum illi non uno modo contra scripturam decreta sua sanciant. Nam, ut Lyra ait: *Multi summi Pontifices inventi sunt apostasse à fide. Et Gilbertus Genebrardus: Plerique Pontifices, magis Apostatici, quam Apostolici fuerunt. Quomodo igitur scripturæ expositionem ab ejusmodi Apostata peteremus? Sapientia in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit, Sap. 7, v. 27. 1. Joh. 3, 6.*

Ne jam dicamus de absurdis & ineptis interpretationibus, quas Pontifices subinde dederunt. Ideo facimus cum Panormitano, expresse dicentes: *quod in rebus fidei concernentibus, etiam dictum unius privati præferendum sit dicto Papa, si ille moveretur melioribus autoritatibus V. & N. T.* Omnis enim homo mendax, Psal. 116. Rectum vero est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33, 4.

In Christo igitur & sermonibus ejus sanis acquiescamus Dilecti! 1. Tim. 6, 3. sic pro genuinis suis discipulis nos agnoscet, Joh. 8, v. 31. & aliquando ut dilectas suas ovculas à dextris

dextris suis sistet, ubi amabilem ex ore e-  
jus vocem audiemus : Venite benedicti  
patris mei, hereditario accipite, regnum  
paratum vobis à constitutione mundi,  
Matth. 25. v. 34.

Id quod nobis omnibus ex gratia lar-  
giri dignetur Deus Opt. Max. per & pro-  
pter Christum, Dominum & Serva-  
torem nostrum, Amen.

## In festo die Philippi & Jacobi.

*Evangelium Ioh. 14. v. 1. --- 14.*

### EXORDIUM.

**C**UM Hagar ancilla Abrahami erraret  
*in solitudine* Bersabeæ, & aqua defi-  
ceret, quâ suam filiiq; Israël sitim  
restingueret, levavit vocem suam & flevit.  
Statim exaudivit Deus vocem ejus, misitq;  
angelum, qui ei viam rectam, & puteum  
aquæ ostendit, ut utrem implere, & pue-  
rum potare potuerit, Gen. 21. v. 15. 19.

Nos Dilecti! *Hagar non adeo dissimiles  
sumus.* Omnes enim quasi oves erra-  
mus, Esa. 53. v. 6. & aberramus à viâ angustâ,  
quæ ad cælum ducit, Matth. 7. v. 14. quin-  
imò in tantâ sæpè miserâ versamur, ut ne  
*guttulâ quidem aqua* potiri possimus, quâ  
lingvâ nostram refrigerare & reficere  
valeamus, imprimis quando infernales Pa-  
læstini fontes consolatorios obstruunt,  
Gen. 26. v. 15.

Quando verò *lacrymas pœnitentiales* ad  
cælum mitimus, audit Deus, nec patitur  
nos tentari supra id quod possumus, 1.  
Cor. 10. v. 13. Sed mandat *Angelis ecclesiæ,*  
ecclesiæ ministris & pastoribus, ut officio  
suo fungantur, tam in consolandis afflic-  
tis, Esa. 40. v. 1. quàm etiam reducendis erran-  
tibus. Ideoque sine intermissione clamant:

State super vias, & videte, quæ sit via bona,  
Jer. 6. v. 16.

*Christus Servator noster pientissimus, hâc  
in parte nobis bono exemplo pravit:* quia e-  
nim à patre suo missus erat, tanquam Ange-  
lus fœderis, Mal. 3. 1. ut omnes lugentes con-  
solaretur, Es. 61. 3. & quod errans erat, re-  
duceret, Ezech. 34. 16. tanquam Pastor &  
Episcopus animarum nostrarum, 1. Petr. 2.  
v. ult. munus quoque suum fideliter obiit,  
& in specie in prælecto Evangelio contur-  
batus suis Apostolis, tam svavem concionem  
habuit, ut eam adhuc hodie in vita & mor-  
te utiliter adhibere nobis possimus.

Propterea autem Majores nostri textum  
hunc memoriæ Philippi & Jacobi consecra-  
runt, quia in primis Philippi mentio injici-  
tur. Dicit enim ille ad Christum: Domine,  
ostende nobis patrem & sufficit nobis. Et  
respondet ipsi Servator: Philippe, qui me  
videt, videt etiam patrem.

Nos absq; ulteriori præfamine ad ipsam  
Evangelii tractationem conferemus nos,  
meditaturi ex eodem:

I. Ἀποστολοῦ, sive *notitiam nostræ.*

II. Χριστοῦ, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Ttt 3

Exe-